BENEDICTUS PP. XIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Apostolatus officium nobis licet immeritis divinitus commissum salubriter exequi, adiuvante Domino iugiter satagentes exorta inter Religiosos viros animorum dissidia, ne fraternæ charitatis Religiosæque tranquilitatis serenitatem diutius conturbent oportunis rationibus resilere, ac ipsorum Religiosorum statui, & bono regimini providere studemus, sicut personarum, locorum, & temporum maturè perpensis in Domino expedire adbitramur; cum, itaque (sicut accepimus) in causa Provinciæ Bethicæ Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Santæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita inter dilectos filios Vocales ex una, ac Didacum de los Rios, & lites consortes fratres expressè professos dictæ Provinciæ ex altera partibus super nullitate Capituli Provincialis eiusdem Provinciæ die xxi. Aprilis M.DCC.XXV. celebrati vertente, eadem Congregatio Cardinalium visa relatione dilecti filij Procuratoris Generalis Ordinis præfati, dictisque partibus auditis, & informantibus, referente dilecto filio nostro Georgio tituli S. Agnetis Spinola, ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali S. Agnetis nuncupato, die XXIII. mensis Agusti proxime præteriti Capitulum Provinciale, huiusmodi nullum esse censuerit, ac decreverit, atque causam præfatam amplius non proponi mandaverit: Nos enarratum Decretum à memorata Congregatione Cardinalium, sicut præmittitur Editum, quo firmius subsistat, ac servetur exactius, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac nihilominus dictæ Provinciæ quieti, & tranquilitati, quantum cum Domino possumus prospicere cupientes, omnia, & singula post Capitulum Provinciale præfatum cœteraque legitimè gesta, & secuta, auctoritate, & tenore præsentium sanamus, & convalidamus: Porrò cum eidem Provinciæ de idoneis Superioribus, & Ministris, qui illam eiusque Conventus, & Collegia, usque ad novum Capitulum Provinciale prosperè dirigere valeant providendum sit; Nos de infrascriptorum Ordinis, & Provinciæ huiusmodi professorum Fide, providentia

re-

rerum uſu, & Religionis celo plurimum in Domino confiſi, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdictis, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodoliber innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolútas fore cenſentes, de eiuſdem Congregationis Cardinalium conſilio dilectos filios Didacum de los Rios, in Priorem Provincialem cum facultate ſocium, ſibi beneviſum eligendi, qui votum habeat in Diffinitorio Provinciali, Ildephonſum de Galves, Auguſtinum Narvaes, Vicentium Garcia, & Ioannem de Texeda in Diffinitores Provinciales; & ne ſuffragia eorumdem Diffinitorum pro utraque parte ſint paria, ipſis quatuor Diffinitoribus, alium pro hac vice tantum, neutri parti additum, ſeu ſuſpectum addere opportunum iudicantes Petrum Porcell in quintum Diffinitorem, in caſu autem deficientiæ horum Diffinitorum, & non aliter Iſidorum de Meſa, Ioannem de Tapia, Blaſium de Luque, Franciſcum de Zayas, in eorum locum; nec non Matthæum de Veas, Expriorem Provincialem in Cuſtodem Provinciæ, atque Rufinum de Paz, & Ildephonſum Delgado, in ſacra Theologia Magiſtros, in Socios pro Capitulo Generali Ordinis præfati, ac Ioſephum, & Auguſtinum de Caſtro, Lectores in ipſorum Sociorum in caſu eorum pariter deficientiæ ſubſtitutos; ad hæc in viginti quinque Conventum, & Collegiorum, quibus prædicta Provincia conſtat infra dicendos Priores; nempe Conventus Hiſpalenſis, Ioannem de Roſario, de Gibraleon, Ioſephum Varrero, Scacenæ, Bartholomeum Carvallo, Aſtigienſis, Didacum de Caſtilla, Gienenſis, Franciſcus Palomino, Antiquarenſis, Laurentium Melaver, de Trigueros, Ioſeph Alvarez, Sancti Ioannis à Portu, Stphanum Gomez, Cordubenſis, Ioſephum Pinna, Granatenſis, Franciſcum Zarate, de Alcalà de Guadaira; Silveſtrum Gimenez, Carmonenſis, Chriſtophorum Toro, Utrarienſis, Emmanuelem Roales, Caſtri Iulij, Ioanem de Ortega, Urſaonenſis, Ioannem Valderas, de Araſena, Damianum de Molina, de Alhama, Ferdinandum Muñoz, Villæ Alvæ, Auguſtinum Arias, Muruenſis, Franciſcum Pellicer, Cœſarienſis, Ioſephum Mocen, Collegij Sancti Alberti Hiſpalenſis, Petrum Guerrero, Collegij Sancti Rochi Cordubenſis, Ioannem de Frenas, Conventus Montis Carmeli de Iuncar, Emmanuelem de Ariona, Aſtenienſis, Philipum Carraſco, & Sanctæ Thereſiæ Hiſpalenſis, Franciſcum Milla, reſpectivè, qui ferè omnes

in

in sacra Theologia, etiam Magistri, seu Præsentati existunt, usque ad proximè futurum Capitulum Provinciale, huiusmodi cum omnibus, & singulis facultatibus præeminentijs prærrogativijs, privilegijs auctoritate, gratijs, è indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis eadem auctoritate harum serie constituimus, & deputamus; mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ ac sub indignationis nostræ, alijsque arbitrij nostri pœnis omnibus, & singulis Provinciæ præfatæ fratribus, & personis, cœterisque ad quos spectat, & pro tempore spectabit, ut supra nominato fratres ad officia eis respective per præsentes demandata eorumque liberium exercitium, iuxta earumdem tenorem præsentium recipiant, & admittant, eosque recognoscant, ac illis in omnibus officia huiusmodi concernentibus respectivè pareant, & obediant, faveantque, & assistant: Volumus autem, quod supradictus Didacus de los Rios in Priorem Provincialem à Nobis deputatu (sicut præmittitur) sine præfatorum Diffinitorum voto, & consensu adversus ullum Religiosum, aut Conventum, & Communitatem ipsius Provinciæ ad aliquem actum irretractabilem procedere non posit, & quatenus in aliquo urgenti casu debeat provisionem capere, si Diffinitores fuerint absentes, statim post captam huiusmodi provisionem eos de illa certiorare, eorumuqe vota desuper exquirere, & iuxta illa procedere teneatur; omnes vero, qui à suis Conventibus studijs, vel exercitijs à celebratione prædicti Capituli Provincialis, usque ad exhibitionem præsentium literarum amoti fuerint si (Diffinitorio iustum visum fuerit) ad illos seu illa restituantur, quodque dilecto filio Iosepho de Oviedo, ipsius Provinciæ professori reserventur gradus magisterij, absque tamen voto in Capitulis Provincialibus, donec requisita per statuta dicti Ordinis adimpleverit: Decernentes ipsas præsentes literâs, & in eis contenta quæcumque firma, valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac fratribus prædictis in omnibus, & per omnia plenisimè suffragari, sicque in præmisis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definire debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ, illiusque Conventuum prædictorum, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consue-

tu-

tudinibus, privilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum thenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris ad præmissorum affectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cœterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die xx. Septembris M.DCC. XXVI. Pontificatus nostri anno tertio. F. Cardinalis Oliverius.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.